

po Senonensi, ejusque successoribus confertur. Has Joannis VIII. Pontificis Maximi litteras, quæ in Concilio Pontigonensi anno MCCCXI. recitatae fuerunt, exhibet *Sirmundus* tomo III. Concil. Galliar. Archiepiscopi Senonenses gaudent adhuc in Gallis Primatis titulo. Sed hic titulus est magni dumtaxat nominis umbra, & inane quoddam diruta antiquæ dignitatis monumentum. De hoc Senonensi Primatu legendi sunt noster *Natalis Alexander* cap. v. art. 1. §. III. in Hist. IX. & X. Ecclesiar. sæculi, & *Gerardus Du Bois* in Historia Ecclesiar. Parisiensis, lib. 8. cap. 1.

A Primatibus progrediamur ad Metropolitanos, quorum privilegia a Sedis Apostolicæ auctoritate derivari, & ab eadem confirmari docet *Hincmarus* Remensis Archiepiscopus in Opusculo IV. Capitulum adversus Nepotem suum *Hincmarum* Laudunensem Episcopum cap. xxxv. & in Epistola xxxvi. ad eundem. Quamobrem nono Ecclesiar. sæculo novarum Metropolitanarum Sedium erectiones fiebant auctoritate Romanorum Pontificum, ut testatur Auctor Vitæ S. *Remberi* Bremensis Episcopi apud *Suxium* die IV. Februarii cap. IX. (a) Metropolitanorum auctoritas in hoc sita erat, quod ad ipsos de jure spectaret Episcoporum sibi subditorum supplere negligentiam in collatione Beneficiorum, eorum vitam & famam observare, illos confirmare, examinare & consecrare, ipsos, non expectata Synodi Provincialis, vel Nationalis sententia, corrigere, si quid contra Canones & Apostolicæ Sedis Decreta committerent; causas illorum judicare in Synodo, vel per Episcopos Judices; Concilia Provincialia convocare & his præesse; suas Provincias visitare, & pravas in eis inolitæ consuetudines, opportunis adhibitis remediis, extirpare. Defuncto Episcopo, Metropolitanus *Visitatore* Ecclesiar. viduatae Pastore præficebat, electionem alterius Episcopi juxta Canones fieri jubebat, & si in partes distraherentur eligentium vota, eum eligebat & consecrabat Episcopum, qui majoribus ad ordinationem suscipiendam studiis juvabatur & meritis, eumque, an digne Episcopali oneri ferendo par esset, sedulo examinabat. Metropolitanis ita subditi erant Episcopi suffraganei, ut ad Synodum, vel ordinationem celebrandam ab ipsis vocati adire deberent, nec ex sua Provincia exire, Officium in Aula Principis, aut Beneficium quodvis citra Metropolitanorum licentiam obtinere possent. Tenebantur etiam Episcopi suffraganei in causis dubiis & obscuris Metropolitanum consulere, in Diocæsi tamen Comprovincialium Episcoporum nihil Metropolitanus agere poterat, nisi ex præscripto Canonum; unde *Nicolaus I.* Pontifex Maximus in Epistola ad *Rodulphum* Bituricensem Episcopum admonet ipsum, quod *Primates*, vel *Patriarchæ* nihil privilegii habeant præ cæteris Episcopis, nisi quantum sacri Canones concedunt, & prisca consuetudo illis contulit; ita ut secundum *Nicenas* regulas sua privilegia serventur Ecclesiis. Metropolitanæ dignitatis insignie erat *Pallium*, quod ad Regum commendationem

Summi Pontifices ad Metropolitanos, & nonnunquam ad simplices Episcopos in præmium meritum mittere solebant. Falso itaque asserit *Petrus de Marca*, Romanos Pontifices summam in mittendis *Palliis* ad Episcopos Gallicanos adhibuisse curam, ut jus Metropolitanicum, quod ad illos juxta vigorem Canonum pertinebat, oriri videretur a Vicariatu Sedis Apostolicæ, & ut eis novum jugum, novamque servitutem imponerent, necessitatem nimirum promittendi obedientiam Sedi Apostolicæ. Sic enim loquitur prædictus Auctor libro VI. de Concordia Sacerdotii & Imperii capite sexto: *Optabant sane olim Summi Pontifices, ut omnes Metropolitanis, qui ad eorum Patriarchatum pertinebant, aliquod confirmationis genus a Sede Apostolica acciperent. Verum, quia ubique receptum erat, consecrationes fieri posse extra Italiam absque eorum consensu, vim ei legi palam adferre noluerunt; sed Metropolitanos rei cujusdam novæ miraculo vel obtusefecerunt, que in initio magnifica, paulatim tamen antiquam eorum libertatem per cuculos fregit, & Synodorum Provincialium auctoritatem pessumdedit. De Pallii usu loquor. Id, inquam, a *Petro de Marca* falso asseri ex eo maxime liquet, quod tantum abest, ut Summi Pontifices curam in mittendis ad Gallicanos Præsules *Palliis* adhiberint, ut potius ferventibus Regum precibus & ardentibus Episcoporum votis inducerentur ad usum *Palliis* Episcopis concedendum. Quod si Romani Pontifices per usum *Palliis* novam servitutem Episcopis imponere intendissent, omni procul dubio nec Reges in gratiam Metropolitanorum suorum unquam istud *Pallium* a Romanis Pontificibus postulassent, nec Metropolitanis novam & insolitam hanc servitutem sibi imponi passi fuissent nedum ambiissent. Promittebant quidem Metropolitanis, & Episcopi, qui *Pallium* obtinebant, obedientiam Romano Pontifici, utpote Christi Vicario; sed nemo dixerit, hanc omni ævo præstitam obedientiam appellari debere servitutem, cum potius necessarium sit officium, quod Metropolitanis & Episcopi sese juxta sacros Canones exolvere debent, obediendo Romano Pontifici, ad quem ratione sui Primatus, quem habet ex jure divino, spectat Canones per universum Orbem executioni mandare, eos, dum exigit Ecclesiar. necessitas, vel utilitas, moderati, ab iis dispensare, eorumque infractores ac perduelles coercere, punire & in ordinem redigere. Jure merito explodi itaque debet hæc nova *Petri de Marca* Archipræsulis Parisiensis opinio, quæ veritati contraria est, & Romanis Pontificibus injuriosa.*

„ (a) Celebre est hæc in re de institutione novarum Metropolitanarum sedium auctoritate Romani Pontificis exemplum S. *Remberi* Bremensis Episcopi, quod hic *Gravesonius* tangit. Sed post *Gravesonium* producta sunt a *Baluzio* capitula responsionum *Nicolai* Papæ ad *Salomonem* Legatum *Ludovici* Germaniar. Regis, cujus hæc sunt verba ab caput IV. U. Episcopus *Bremensis*, licet a *Gunthario* (*Coloniensi* E-

„ pi-

„ *piscopo*) hæc non potuerit dari licentia, nec ab eo tale quid peti debuerit; tamen pro amore Domini Regis, quia pia est ejus petitio, cum non sua auctoritate in prædicto loco *Bremensium* potestatem & honorem Archiepiscopatus super *Danos* & *Suevos* habeat, & simili modo sui successores per tempora futura perpetualiter teneant, atque possideant.

Circa Episcopos hæc Disciplina nono Ecclesiar. sæculo observari solebat. In primis, Episcoporum electiones in Germania, Gallia & Anglia juxta sacros Canones liberae erant, & a Metropolitanis, prævio examine, confirmabantur, sicut sancitum est Canone septimo Concilii *Valentini* III. in Gallis celebrati anno MCCCIV. Aliquando tamen Episcoporum aut Archiepiscoporum electiones confirmabantur, vel rescindebantur a Romanis Pontificibus, idque in his casibus contingebat. Primo cum Metropolitanis jure suo abutentur, confirmando scilicet contra Canones. Secundo, cum dispensatione opus erat: sic *Vulfandi* Bituricensis Archiepiscopi electionem *Nicolaus I.* ut confirmaret, a rege *Carolo Calvo* rogatus est. Tertio, cum Metropolitanus officio suo nonungebatur; sic *Joannes VIII.* Pontifex Maximus *Optandum* confirmavit, consecravique Episcopum *Genevensis*, quia *Ottmannus* Viennensis Metropolitanus *Bosoni* Regi *Arelatensi* addictus ejus confirmationem & ordinationem studio partium abreptus data opera, procrastinabat. Episcopi in suis Ordinationibus observantiam Canonum, & obedientiam Metropolitanis suo pollicebantur, Metropolitanis vero eam Summo Pontifici exhibendam profitebantur. Episcopatu cedere, nisi gravissimas ob causas Episcopis non licebat. Amor tamen solitariae Vitæ nonnullos noni sæculi Episcopos ad suas relinquendas Ecclesias pellexit, ut constat exemplo *Leidradi* Lugdunensis Archiepiscopi, qui anno MCCCXV. Sæffione in Monasterio S. *Medardi* Vitam Monasticam profiteri cœpit, & in ejus locum *Agobardus*, ejusdem Ecclesiar. Chorepiscopus successit, teste *Adone* in Chronico. Resignationem Episcopatum in favorem aut assumptionem Coadjutoris, nisi evidenti necessitate aut utilitate Ecclesiar. non permittebat Ecclesiastica noni sæculi disciplina, sicut nec translationem Episcoporum ab una Sede ad aliam. Quam in rem, præter multa alia exempla, quæ afferri possent, in promptu est exemplum *Formosi* Papæ, cui ejus hostes vitio verterunt, quod a Portuensi Ecclesia ad Romanam Sedem migrasset, eidemque emortuo, ut jam observavimus, exprobravit *Stephanus VII.* Papa his verbis: *Cum Portuensis* esses Episcopus, cur ambitionis spiritu Romanam universalem Sedem usurpasti? Pluralitatem Beneficiorum in Episcopis vetabat noni sæculi disciplina; negari tamen non potest, aliquot fuisse noni sæculi Episcopos, qui plures Abbatis possederunt, qua in re, cum se contra sacros Canones

gesserint, laudari minime debent, nisi forte illas Abbatis acceperint, ut eas a secularium hominum invasionibus, quæ id ætatis satis frequentes erant, vindicarent, ac tuerentur. Episcopi in propriis suis Ecclesiis residendi necessitas nono sæculo imposta erat, a qua tres dumtaxat rationes eos legitime dispensare poterant. Prima erat, profectio Romam devotionis ergo, aut Summi Pontificis jussione. Altera ratio erat obsequium Principis non sponte quaesitum, sed impositum. Tertia ratio Episcopos a Residentia legitima dispensans erat legatio a Romanis Pontificibus, aut a Regibus demandata. Maxima erat sæculo nono Episcoporum jurisdictio. Nam præterquam quod *Carolus Magnus* Imperator sub gravissimis pœnis edixit, ut in causis Canonicis, videlicet in vitiorum emendatione, Penitentiar. inflicitione, promotione divini cultus, & executione Disciplinæ Ecclesiasticæ omnes Episcopi obtemperarent, causæ etiam civiles & criminales Clericorum erant examini ac judicio Episcoporum reservatæ. Jus Nominationis ad Beneficia, præcipue ad Regimen Parochiarum, etiam nono sæculo esset penes Patronos, seu Ecclesiasticos, seu Laicos, collatio tamen erat in potestate Episcopi, ita ut si indignum Patronus præsentaret, vel intra certum tempus Ecclesiar. vacanti non provideret, jus devolutum esset ad Episcopum, qui digniorem instituire debebat. Prima Episcopatum causarum cognitio ad Provinciales, seu Nationales Synodos pertinebat, suprema tamen non erat Provincialium, seu Nationalium Synodorum auctoritas, sed ab earum judicio ad Romanum Pontificem Episcopi poterant appellare, ut constat exemplis Episcoporum *Gallicanorum* *Ebbonis* Remensis, *Hincmari* Laudunensis, & *Rotbadi* Sueffionensis, quos a Synodis Provincialibus depositos ad Sedem Apostolicam appellasse, jam a nobis in præcedentibus Colloquiis observatum est. De jurisdictione in *Bulgarorum* Diocæsim, quæ præcipuas quinque complectebatur Provincias, Daciam scilicet Mediterraneam, Daciam Ripensem, Prævalem, Dardaniam, ac Mysiam superiorem, gravis nono sæculo extitit contentio Pontifices Romanos inter, & Patriarchas Constantinopolitanos. S. *Ignatius* Patriarcha Constantinopolitanus hanc *Bulgarorum* Diocæsim jure Patriarchico regendam suscepit, Romanisque Presbyteris ejectis, Græcos illic Presbyteros misit, gentique *Theophylactum* consecravit Episcopum, quamvis, ne id faceret, admonitus fuisset ab *Hadriano II.* Summo Pontifice per Epistolam sibi a Legatis Apostolicis oblatam. Qua de re idem Pontifex graviter expostulavit cum *Basilio* Imperatore in Epistola ad ipsum data. *Joannes VIII.* qui *Hadriano II.* successit, restitutionem Diocæseos *Bulgarorum* Ecclesiar. Romanæ vehementer urfit, & defuncto Sancto *Ignatio*, *Phorium* Sedi Constantinopolitanae restituit, ea lege, ut a *Bulgaricæ* Diocæseos administratione abster-

neret, eamque Romanæ Sedi restitueret. Votis tandem potitus est Joannes VIII. & Romanæ Sedi Bulgarorum Diocesim vindicavit. Sed brevis fuit Pontificis lætitia. Photius quippe, annuente Imperatore Basilio, Bulgaricam Diocesim denuo invasit, quæ Constantinopolitanæ Sedi ad dicta mansit usque ad Pontificatum Innocentii III. qui, ut testatur *Franciscus Bosquetus* Ecclesiæ Gallicanæ Præsul in illius Summi Pontificis Vita, hanc Bulgarorum Diocesim Sedis Apostolicæ dominio, & jurisdictioni iterum subiecit. Sed de exordio, progressu, atque exitu illius contentione Bulgarorum Diocesis enatæ nono sæculo Pontifices Romanos inter, & Patriarchas Constantinopolitanos, leges *Anastasio Bibliothecarium*, in Vita Hadriani Secundi, ubi omnia, quæ ad illam spectant, accurate descripsit.

Erga Clericos hæc nono Ecclesiæ sæculo vigeat disciplina. In primis, juniores Clerici, antequam ad sacros Ordines promoverentur, instituebantur in Seminariis, quæ vel in Episcoporum Aedibus, vel in Monasteriis erant ad id destinata. Inter Canonicos alii erant, qui in Ecclesiis Cathedralibus cum Episcopis, & sub immediata eorum cura; & alii, qui in Monasteriis sub Abbatum regimine communem vitam ducebant. Hos tamen Canonicos voto paupertatis non fuisse obstrictos, ac subinde diversos fuisse ab iis, quos nunc *Canonicos Regulares* appellare solemus, facile colligitur ex Concilio Aquisgranensi sub *Ludovico Pio* Imperatore Canone cxv. in quo statuitur, *Monachos, quia nihil sibi proprium reliquerunt, copiosioribus Ecclesiæ sumptibus, quam Canonicos, qui suis & Ecclesiæ licite utuntur rebus, indigere.* Idemque sancitur Canone cxxii. Regulæ Canonicorum in Concilio Aquisgranensi habito anno dcccxvi. jubente *Ludovico Pio* Imperatore, conditæ, & omnes Clerici subditi erant Episcopis, a quibus ordinati, certisque Ecclesiis ita erant addicti, ut in illis semper residere deberent, nisi ad Scholas celebriores discendi gratia mitterentur. Hinc non poterant Episcopi Clericos a suis Beneficiis pro suo nutu amovere, sed illos dumtaxat propter crimina e Beneficio, & gradu canonice deiciebant. Personæ Clericorum ab omni servitute publica erant immunes; in Galliis tamen nono sæculo lugenda servitus Episcopis, & nonnullis Abbatibus imposita est, quæ non solum militiam Regibus Christianissimis suppeditare, sed & milites suos ad bellum ducere tenebantur, nisi infirmitate essent præpediti, aut Regis dispensatione ab expeditione absoluti. In hanc pravam consuetudinem jure merito invehitur *Nicolaus I.* Pontifex Maximus in Epistola xxvii. ad *Ludovicum* Germaniæ, & *Carolus* Galliarum Reges. De hac etiam gravi, & importuna consuetudine in damnum Ecclesiæ Gallicanæ illata legendus est *Hincmarus* Remensis Archiepiscopus in Epistola xxvi. ad *Nicolaum I.* item in Epistola xli. ad *Hadrianum I.* & in Opusculo xlv. cui titulus est: *Que exequi debet Episcopus.* Clerici bonorum

Ecclesiasticorum non Domini, sed tantum Economi, & dispensatores, juxta sacros Conciliorum Canones, habebantur, & ideo possessiones ex rebus Ecclesiæ acquisite, aut residuas pecunias non poterant ad hæredes transmittere. Canonici vero, qui Beneficia Ecclesiastica habebant ad victum, & vestitum sufficientia, nulla stipendia a communi Congregationis arario percipiebant. Ecclesiæ cujusvis bona quatuor in partes distribuiebantur secundum disciplinam antiquis Canonibus consonam, quarum una Clericis, altera pauperibus, tertia restaurationi templorum, quarta Episcopo cedebat.

Chorepiscopi nono Ecclesiæ sæculo in Concilio Ratisponensi anno dccciii. & in Concilio Metensi an. dcccxxxviii. extincti sunt, eo quod ambitione elati, jura Episcoporum sibi perperam arrogarent. De Chorepiscopis sic Patres Concilii Metensis Canone ii. loquuntur: *Ut Basilicæ a Chorepiscopis consecrata ab Episcopis consecrentur, roboratum est, quia juxta Decreta Damasi Papæ, Innocentii, & Leonis, vacuum est atque inane quidquid in Summi Sacerdotis Episcopi egerunt ministerio, & quod ipsi iidem sint, qui & Presbyteri, sufficienter invenitur.* Ad cujus secundi Canonis Concilii Metensis intelligentiam, breviter observare debes, olim Chorepiscoporum duo fuisse genera, quorum alii vere erant Episcopi, alii vero Presbyteri, ampliori tamen jurisdictione donati. Primi generis extiterunt *Adalmarus*, & *Agobardus* ambo eodem tempore Chorepiscopi, ille scilicet *Amalarii* Archiepiscopi Trevirensis, hic *Leidradi* Archiepiscopi Lugdunensis. Duo illi Chorepiscopi erant veri Episcopi, utpote secundum Canones ordinati a tribus Episcopis. Chorepiscopi vero secundi generis non erant Episcopi, quia ab uno dumtaxat Episcopo erant ordinati. Unde, quamvis *Episcopi Villani* dicti interdum reperiantur, non erant tamen Episcopi, sed Episcoporum dumtaxat Vicarii Presbyteratus honore insigniti. De his secundi generis Chorepiscopis, qui Presbyteris aliqua tantum jurisdictione præminebant, loquuntur Patres Concilii Metensis, dum dicunt, illos fuisse tantummodo Presbyteros, de quibus aut in Officio continendis, aut penitus abolendis diutissime laborarunt Episcopi, eo quod illi Chorepiscopi res haud paucas, quæ solis competeant Episcopis, ausu temerario agendas susciperent, eorumque jura ac Privilegia præpostere usurparent. Susceptum consilium ad optatum tandem exitum perduxerunt Episcopi; nam sub finem noni sæculi, & initium decimi, nulli amplius in Ecclesia tam primi, quam secundi generis Chorepiscopi extiterunt, sed Chorepiscopi primi generis, qui erant veri Episcopi, successerunt Episcopi illi, qui pro partibus Infidelium ordinantur, & Germanicorum Episcoporum vicibus ætate nostra funguntur, cum hoc tamen discrimine, quod antiqui primi generis Chorepiscopi, qui erant veri Episcopi, dicebantur ipsarummet Ecclesiarum, quibus serviebant, Chorepiscopi, sicut diximus de *Adalmaro*, & *Agobardo*; at vero Episcopi, qui in Germania pro partibus Infidelium ordi-

ordinantur, & Germanicorum Episcoporum munia obeunt, titulum gerunt Ecclesiarum, quæ in partibus Infidelium constitutæ sunt. Secundi generis Chorepiscopi, qui non erant veri Episcopi, sed tantum Presbyteri, majori tamen præditi jurisdictione, successerunt in Occidente Archipresbyteri, sive Archidiaconi, & Decani rurales, qui modo eadem in Ecclesia exercent officia, quæ olim a secundi generis Chorepiscopis obiri solebant. Sed si de antiquis tam primi, quam secundi generis Chorepiscopis, quorum dignitas nono Ecclesiæ sæculo abrogata fuit, plura scire aveas, leges *Joannem Morinum* Congregationis Oratorii eruditum Presbyterum Exercitatione iv. partis tertiæ de *sacris Ecclesiæ Ordinationibus*, & doctissimum *Carolus Coitium* ejusdem Congregationis ad annum dcccxi. numer. cccxl. ubi hoc de argumento præclare ac copiose edisserunt.

D. Præcipua noni sæculi Disciplina Ecclesiasticæ Capita exposuisti, quibus subnectas velim Synopsim Monasticæ Disciplina, quæ eodem sæculo in Monasteriis erat in usu.

M. Floruit quam maxime nono Ecclesiæ sæculo Monastica Disciplina, & Regula Sancti Benedicti sub *Caroli Magni*, & *Ludovici Pii* Imperio ita in Galliis, Germania, & Italia recepta erat, ut in Monachorum Cœnobiis hæc sola dominaretur. Hanc Sancti Benedicti Regulam, sicut & sui ordinis in Galliis reformationem potissimum propagavit nono Ecclesiæ sæculo Sanctus *Benedictus* Anianensis Abbas, sicut testatur *Ardo* in ejus Vita. De Puerorum Oblatione Monasteriis a parentibus facta ex præscripto Regulæ Sancti Benedicti nata est eodem sæculo controversia, an videlicet in posterum irrevocabilis omnino esset, vel in illis pueris, ubi ad ætatem adultam pervenissent, integrum esset ad sæculum redire? Nonnullis hanc puerorum oblationem Monasteriis a parentibus factam irrevocabilem non esse asserentibus strenue obstitit *Rabanus* edito libro contra eos, qui oblationem contra Regulam Sancti Benedicti destruere volebant, sicut testatur *Rodulfus* in Vita Rabani, cujus opinio, quæ antiquitate Summorum Pontificum, & Conciliorum Decretis nitebatur, prævaluit, fuitque confirmata in Concilio Aquisgranensi, anno dcccxvi. Canonibus xxxvi. & xxxvii. & in Concilio Wormatiensi habito anno dcccxxvii. Canonibus xxii. & xxiii. ubi sic statuitur: *Monachum ergo aut paterna devotio, aut propria professio facit. Quidquid horum fuerit, alligatum tenebit. Proinde huic ad mundum reverti intercludimus aditum, & omnes ad sæculum interdicimus regressus.* Aetas Monasticæ professionis in viris erat annus decimus quintus, aut eo major. At Virgines velum consecrationis ante annum vigesimum quintum non recipiebant. Monachi jure quidem communi Episcopis subditi erant nono Ecclesiæ sæculo, immunitates tamen, & privilegia Monasteriis quibusdam a Romanis Pontificibus, & Episcopis concessa sunt. *Nicolaus I.* Pontifex Maximus Privilegium amplissimum libertatis, seu exem-

ptionis a jurisdictione Episcopi Cenomanensis concessit, seu potius confirmavit, Monasterio Sancti *Karilei*, Gallice *Saint Calais* Ordinis Sancti Benedicti. Concilium Parisiense celebratum anno dcccxlvi. Monasterium Corbejenſi, rogante *Paschasio Radberto*, ejusdem Monasterii Abbate, electionis, & libertatis Privilegium, quo a foundationis suæ initio positum fuerat, ratum habuit, suaque autoritate confirmavit. Idem Privilegium *Benedictus III.* Summus Pontifex denuo approbavit, & auxit, atque prædictam Abbatiam Corbejenſem ab Episcoporum jurisdictione prorsus immunem declaravit. Simile Privilegium in jure eligendi Abbatem, & in libertate ab Episcopali dominatione positum obtinuerunt nono Ecclesiæ sæculo alia nonnulla Monasteria, videlicet Monasterium Floriacense in Synodo Tulensi apud Saponarias habita, anno dcccix. Monasterium Sancti Dionysii prope Lutetiam in Concilio Pistensi, anno dcccxi. Monasterium Solemniacense Diocesis Lemovicensis in Synodo Sueffionensi iii. coacta, anno dcccxlvi. *Carolus Magnus* & *Ludovicus Pius*, religiosissimi Imperatores non solum Laicos, verum etiam Clericos, Sæculares, & Canonicos a regendis Abbatibus excluderunt, sæpiusque Summi Pontifices Abbatum institutionem aliter factam, pronuntiarunt contrariam esse authenticæ, & regulari institutioni. Bene multi ex Ordine Monastico Sancti Benedicti, qui pene solus ix. Ecclesiæ sæculo in Occidente vigeat, ad Regimen Ecclesiarum provecti sunt, quorum duo fuere Summi Pontifices, *Paschalis I.* & *Leo IV.* alii complures Episcopi doctrina, & pietate eximii, quorum Vitas, atque præclara in Ecclesiæ merita leges apud doctissimum *Mabilonium* sæculo iv. Benedictino, quod est Ecclesiæ nonum. Monachi, qui ad dignitates Ecclesiasticas erant promoti, Monasticum habitum, eademque vitæ regularis normam in Pontificatu servare obstringebantur. Pecuniam pro Monasterii ingressu recipere districte erat prohibitum, eaque lex summa religione servabatur. Regulam Sancti Benedicti tam Monachi, quam Sanctimoniales adamussim adimplere satagebant. Stans horis in opere manuum occupabantur Monachi, studio tamen graviter incumbent, & in multis Cœnobiis celebres erant institutæ scholæ, sicut in Anianensi, in Fuldensi, in Sandionysiano, in Turonensi, in Corbejenſi, in Centulensi &c. Ex quo cum sacrarum, & Ecclesiasticarum, tum humanarum litterarum cultu feliciorum promanasse noni sæculi statum, contra vero nefandam sæculi decimi corruptelam ex earundem neglectu fuisse profectam merito existimat *Mabilonius*. Sublata quippe, inquit vir ille undecumque doctissimus, scientia, non est, qui erudiat, non est qui exhortetur, non est qui peccantes arguat. Hæc ubi defecerint, impune peccatur, impune violatur Religio, deficiat, ac cæteris, quæ inde scaturiunt, lascivientis naturæ vitis dedunt se Ecclesiæ Ministri. O utinam laudabilem illam antiquorum Monachorum vivendi, studendique normam pro viribus æmulari possent omnes hujus temporis religio-

sa vitæ cultores, quo majori animarum fructu prædicandi, docendi, Sacramenta administrandi, aliisque id genus sibi demandatis Ecclesiasticis munus perfungi possent. Denique, ut me expediam ab his, quæ ad Monasticam noni sæculi disciplinam spectant, idem Mabillonius in Præfatione partis secundæ sæculi iv. Benedictini revocat ad nonum Ecclesiæ sæculum divisionem bonorum Monasterialium inter Abbatem, & Conventum, qualis in Monasterio Sancti Dionysii prope Parisios anno dccclxi. facta est, ut legitur apud *Dubletum* in Antiquitatibus Dionysianis, & qualis etiam in Monasterio Sancti Germani apud Parisios ab *Hilduino* Abbate Regulari peracta est anno dccclxxii. Huic bonorum Monasterialium partitioni occasionem dedit rapacitas quorundam sæcularium Abbatum, qui omnia Monasterii sibi commendati bona in usus suos vendicabant. Quod ne in Monasteriis sibi subiectis aliquando fieret, *Hilduinus* Abbas Sangermanensis hac partitione consuluit, sicut testantur litteræ ea de re ab eo scriptæ. Eiusdem argumenti est Epistola tertia *Frotarii* Tullensis Episcopi ad *Ludovicum Pium* Imperatorem pro Monasterio Mediolacensi Diocesis Trevirensis, ubi tempore *Fortunati* Abbatis, iussu *Ludovici Pii* Imperatoris *Smaragdus* ipsius Monasterii Monachis portionem de Abbatia dederat, ut regulariter viverent; sed *Hismundo* Abbate hanc portionem suos in usus convertente, querelis ad Imperatorem delatis, *Frotario* promisit *Hismundus* Abbas, se per omnia emendare velle quicquid hætenus negligenter ex sua parte fuerat actum. Monachis eo pacto, nec aliter assentientibus, nisi illis portio sua redderetur, eoque pernegante, a *Frotario* Monachi postularunt, ut illis licentiam daret ad Imperatoris præsentiam recurrendi, ejusque misericordiam implorandi, dicentes, se magis velle de eodem Monasterio expelli, & in peregrinatione, & mendicitate vivere, quam falsis promissionibus ulterius credere, & sub falso Monachorum nomine militare. Eorum postulatis annuit *Frotarius* præmissis ad *Ludovicum Pium* Imperatorem litteris, ex quibus hæc refert *Mabillonius*, quem, si plura scire desideres, consulere poteris.

D. Cum Ecclesiæ Catholicæ multum splendoris conciliet doctrinæ Moralis integritas, præstat, ut sub finem nostri Colloquii paululum disseramus de doctrinæ Morali, quæ nono Ecclesiæ sæculo obtinebat, necnon de legibus, quæ ad illius puritatem conservandam conditæ sunt.

M. Infinitus profecto essem, si omnes leges Ecclesiasticas, seu Sacros Canones, qui in Conciliis nono Ecclesiæ sæculo celebratis ad castitatem Moralis Christianæ retinendam editi sunt, vellem in præsentia proferre in medium. Sat erit aliquas hic subijcere observationes, ex quibus nullo negotio percipies, quam illibata, incorrupta, & integra fuerit noni Ecclesiæ sæculi Ethices Christianæ doctrina.

Primum quidem generatim observare debes, omnes antiquos Canones, qui de vita, & moribus Clericorum, necnon de pœnis eisdem infligendis, quando se aliquo crimine, maxime luxuriæ,

commaculassent, aureis primæ Ecclesiæ sæculis conditi sunt, fuisse nono sæculo adamussim observatos. At enim *Hincmarus* Remensis Archiepiscopus, qui nono Ecclesiæ sæculo florebat, in Capitulis ad Presbyteros datis, an. dccclii. acriter eos perstringit, qui dicebant, non debere Presbyterum, vel Diaconum de crimine confessum, sive convictum deponi, sed tantum suspendi, quia, inquietant, sic possunt confessionem, & pœnitentiam, sicut & alii homines, facere: sed viderint, prosequitur *Hincmarus*, qualiter se a laqueo liberent, quo se innectunt, ponentes in celum os suum, & loquentes adversus Sacros Canones, ut *Leo* dicit, spiritu Dei conditos, & totius Mundi veneratione consecratos; qui (Canones) sequentes Apostolicam doctrinam dicunt, in crimine detectos non oportere ad Ecclesiasticum gradum accedere, vel in Clericatu manere, vel ad Clericatum redire. Quod etiam ibidem probat *Hincmarus* luculentissimis Romanorum Pontificum Leonis, Hilarii, Gelasii, Gregorii, & Sancti Augustini Episcopi testimoniis. De hac pœnitentia, cui nono sæculo, sicut & in aliis præcedentibus Ecclesiæ sæculis, Sacerdotes, & Clerici lapsi addicebantur, legendus est doctissimus *Joannes Morinus* in libro, quem edidit, *De pœnitentia*. Hunc rigorem antiquorum Canonum ad Sacerdotes pertinentium, quos Concilium etiam Tridentinum renovavit, præ oculis habere debent Presbyteri, ut vitæ, morumque probitate, tanti sacrificii, quod peragunt, etiam castis, etiam innocentibus, etiam Angelis tremendam sanctitatem magis, ac magis venerari discant, atque sollicite caveant, ne unquam ad illud illotis manibus, polluto animo, & libidinum suarum æstu flagrantes accedere præsumant, & caelestem illum panem indigne manducando sibi æternam damnationem accerant. Eam ob rem Patres Concilii Parisiensis sexti, quod sæculo nono, hoc est anno dccclxi. habitum est, capite duodecimo primæ partis hanc auream Sancti Gregorii Magni Papæ sententiam Sacerdotibus ponit ob oculos: Cum rerum necessitas exposcit, pensandum valde est ad culmen quisque regiminis veniat, atque ad hoc rite perveniens qualiter vivat, & bene vivens qualiter doceat, & recte docens, infirmitatem suam quotidie quanta valeat consideratione cognoscat.

In castigandis Laicorum criminibus tam publicis, quam occultis, non minus severa erat noni Ecclesiæ sæculi disciplina. Publici siquidem criminis rei pœnitentia publica, juxta antiquos Canones multabantur, & qui pœnitentiam publicam agere detestabantur, excommunicatione feriabantur, iisque nec in exitu dabatur communio, nec post mortem eorum commemoratio inter defunctos fideles fieri solebat. Quo pacto autem Sacerdotes in imponenda pro peccatis occultis salutari pœnitentia se se in foro pœnitentia gerere deberent, multa Concilia sæculo nono convocata certas, quas sequerentur, Regulas, eis præscripserunt, præsertim Concilium Cabilonense secundum indictum anno dccclxi. quod Canone trigésimo octavo jubet,

jubet, modum pœnitentiæ peccata sua confitentibus, aut per Sanctarum Scripturarum auctoritatem, aut per Ecclesiasticam consuetudinem imponi debere, repudiatis ac eliminatis libellis, quos pœnitentiales vocant, quorum sunt certi errores, incerti Auctores, de quibus dictum est (Ezechielis cap. 13.) Mortificabant animas quæ non moriuntur, & vivificabant animas, quæ non vivebant. Qui dum pro peccatis gravibus leves quosdam & inusitatos imponunt pœnitentiæ modos, consuunt pulvillos, secundum Propheticum sermonem, sub omni cubito manus, & faciunt cervicalia sub capite universæ ætatis ad capiendas animas. Adverte quæso, tres ab hac Synodo præscribi Regulas, quas in foro pœnitentiæ Sacerdotes seu Confessarii, sequi debent, & juxta eas judicare, ut pro modo criminum condignum imponant pœnitentiæ modum. Prima Regula est Scriptura Sacra; Altera antiquorum Canonum institutio; Tertia est Ecclesiæ consuetudo. Jubet etiam eadem Synodus, ut repudientur omnino libelli quidam pœnitentiales vulgati id ætatis ab incertis quibusdam Auctoribus, qui leves pro gravibus peccatis imponentes pœnitentiæ modos, faciunt cervicalia sub capite universæ ætatis ad capiendas animas. Vide ergo nunc, quantum a sanctissimis illis Regulis desciscant benigniores quidam Confessarii, qui de peccatis, & de pœnitentiis reis imponendis non judicant secundum Sacras Scripturas, secundum Canones, & consuetudinem Ecclesiæ, sed potius secundum quosdam, ut vocant, *Confessariæ Summas*, quas multis corruptellis, & erroribus scatentes confarinarunt nonnulli moderni laxi casuistæ, qui nova morum præcepta condere, legem Christi mille ingeniosis distinctionibus emollire, totamque, proh dolor! Christianæ Moralis puritatem corrumpere tentarunt novellis, & inauditis opinionibus de intentionis directione, de restrictionibus mentalibus, de palliandis usuris, simoniis &c. Quæ opiniones peccandi licentiam omnigenis hominibus permittunt, Sacerdotibus, Religiosis, Beneficiariis, Nobilibus, Famulis, Negotiatoribus, Judicibus, divitibus, egenis, homicidis, sceneratoribus, iisque ita salutis variis suavitatibus lævigatum, & cum vitæ deliciis copulatum mira arte ostendunt. Verum, quemadmodum Patres Concilii Cabilonensis secundi, ne Christianæ Moralis integritas aliquid damni nono Ecclesiæ sæculo pateretur, quosdam libellos pœnitentiales, quorum erant certi errores, incerti Auctores, proscripserunt, ita nostris temporibus Summi Pontifices prophana hæc dogmata, quæ latissimum ad omnia flagitorum genera ostium referabant, Vaticanis fulminibus protriverunt, gliscentem litem reciderunt, illumque novarum in doctrina Morali opinionum torrentem abegerunt.

Denique, tot inter sanctissimas leges, quæ a Conciliis nono Ecclesiæ sæculo celebratis pro conservanda Morali Christianæ Doctrinæ integritate institutæ sunt, hanc referre haud pigebit, quæ ad sacram Communionem cum fructu percipiendam summe necessaria est. Et ne discedamus a Concilio Cabilonensi secundo jam a nobis laudato,

Patres illius Concilii Canone quadragesimo sexto sanciant, discretionem in Corporis, & Sanguinis Domini perceptione esse servandam, ne, si nimium in longum differatur, in perniciem animæ vergat, si vero indiscrete accipiatur, homo sibi judicium manducet, & bibat. Prius ergo, probare se debere, & sic de pane illo manducare, & de calice bibere, sicut ait Apostolus, ut videlicet abstinens aliquot diebus ab operibus carnis, & purificans corpus animamque suam, præparet se ad percipiendum tantum Sacramentum, exemplo David, qui, nisi se fastus fuisset abstinuisse ab opere conjugali ab beri, & nudius tertius, panes propositionis nequaquam a Sacerdote accepisset. Ad hanc sapientissimam Regulam a Patribus Concilii Cabilonensis ii. statutam si animum tantisper adverterent animarum Rectores, nulli deinceps, mea quidem sententia, reperirent Confessarii, qui Peccatores a nefandis adhuc abominationibus recentes, interposita solius Peccatorum confessionis mora, præproperaque data absolutione, ad sacratissima Mysteria ipsi Angelis tremenda statim propellerent, sed illos potius, ut par est, a sacra Communione Corporis, & Sanguinis Domini arcerent, donec sinceram ac sceleribus condignam satisfactionem peregissent.

D. Paulo durior ac ridigior mihi videtur hæc Moralis doctrina. Numquid enim, ut mihi nuperrime dicebat quidam Casuista non indolens, numquid, inquam, confessio eluit omnia peccata? nunquid quisvis, etiam sceleratissimus, ab impietate ad pietatem puncto temporis traduci potest? quorsum ergo non poterit peccator delicta sua brevissimo licet interjecto temporis intervallo confiteri, & post acceptum a Sacerdote absolutionis beneficium, ad sacram Communionem abjecta omni cunctatione accedere?

M. Bona verba quæso: hæc Doctrina Moralis, quæ constanti Patrum traditione, & perpetua Ecclesiæ Catholicæ praxi nititur, nec durior, nec rigidior tibi videri debet. Fateor quidem, ut elegantissimis verbis utar cujusdam Anonymi Scriptoris, fateor, inquam, quemvis sceleratissimum ab impietate ad pietatem puncto temporis traduci posse, omnisque tot moris, & conditionibus, repente reconciliationi idoneum fieri; assentior etiam id aliquando contigisse. Verum ad illa exempla cum S. Bernardo respondeo, non tam exempla esse, quam miracula in ipso gratiæ statu, qui totus per se miraculis constat. Mutationes illæ sunt dextera excelsi; inusitata misericordiæ divinæ nullis subiectæ legibus opera; quibus solemnes leges non sunt perturbandæ. Has enim ad maxime vulgarem ordinem expendi convenit: quemadmodum medicinæ institutione familiari naturæ cursu diriguntur. Conversiones autem, & motus in hominum animis ita celeres gratia efficere non solet. Divinus quidam dies est, ut præclare ait Magnus Gregorius, hic itidem, ut ille naturæ habet diluculum, habet progressum; sensim ac pedetentim augetur, ac crebrescente luce mentium noctem tenebrasque depellit. Novus homo sicut